



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Prorogatio Synodi, Et Provincialis Et Dioecesanæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

GREGORIUS MEDIOLAN. III. MAXIMILIANVS II. 193
P. XIII. I M P.

ANNO
CHRISTI
1573.
Omnes præterea prouinciæ nostræ fideles id monemus,
& per viscera misericordiæ Christi Domini hortamur, ut
omni pietatis Christianæ studio & religiosis precibus, iis-
que assiduis, a Deo consolationis & misericordiarum pa-
tre, nobis, negotium tam salutare tractantibus, Spiritus
sancti lumen implorent, quo lumine adiuti, nos iis initii in-
sistentes, quæ superioribus annis iecimus, nostros, gregis-
que nostri gressus dirigamus in viam salutis æternæ. In qua-
rum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctorita-
teque nostra imprimi, & nostro signo muniri, tum nostra
etiam manu signatum in vulgus publice proponi, eidem-
que a synodali secretario nostro subscribi voluimus. Da-
tum Mediolani die 16. Ianuarii 1573.

PROROGATIO SYNODI, ET PROVINCIALIS ET DIOCESANÆ.

Carolus Borromaeus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Pra-
xedis presbyter cardinalis, Dei & apostolicæ sedis gratia ar-
chiepiscopus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, uniuersis prouin-
ciæ nostræ fidelibus salutem in Christo Domino.

ALIIS nostris literis, editi nomine inscriptis, prouin-
cialem Synodus, quam hoc anno die 24. huius men-
sis Aprilis habere statueramus, paucis ante diebus de mo-
re indiximus, sed cum per inualetudinem nostram, ut per
literas etiam prouinciæ nostræ episcopis significauimus, id
ad constitutam diem præstare nobis non liceat : eam ad
diem differimus & prorogamus, quem illi hoc ipso anno
celebrandæ certum, volente Deo, præscribemus, atque
indicemus aliis nostris literis.

Diocesanam præterea Synodus, quam indiximus ad
diem 14. huius etiam mensis Aprilis, ob eam ipsam causam
differimus, & prorogamus in diem quem aliis nostris literis
certum significabimus & constituemus arbitratu nostro.
In cuius rei fidem has necessariæ prorogationis nostræ lite-
ras confici & publice affigi iussimus. Datum Mediolani
die 9. Aprilis 1573.